



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Qviricvs & Ivlitta MM. 16. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse paradoxa Christi. *Ex Menais.*

SS. QVIRICVS & IVLITTA MM.

16. Iunii.

Datur optio; exempla Christiana fortitudinis à trienni puero, an feminâ malis petere: hujus sexus, illius ætas convitium facient ignaviæ tuæ, si detrectas vel desperas sequi hos duces; & audies sanè quod olim Augustinus: *An non potes quod iste & ista?* Exercebat Tari quæstionem de Christianis Alexander. IVLITTA QVIRICVM filiolum ultro ad tribunal non duxit, sed tulit, puto ne unicum Abrahæ in hanc rem facinus ostendi generi humano posset. Alexander in disparem prædam non eodem affectu grassatus, matrem atrocissimè, filium blandissimè excepit, haud scias in leoninâ an vulpinâ pelle nequior. Certè QVIRICVS illius receptus sinu, appetitus osculis, inescatus promissis, nullum, neque plorandi, neque quiritandi finem fecit; cùm IVLITTA contrâ pendens in equuleo, & taureis conscissa, gemitû nullû ederet, ut propriâ amborum confessione constaret, utrius conditio esset iniquior. Consumptis lacrymis, imbellia etiam arma expeditit triennis heros, & nuper natos

natos dentes tenerosq; ungues strinxit
in adulatorem suum, luctando effectu-
rus, ne mitior in se, quam in matrem
esset. Et potitus est voto suo; Alexan-
der ad tribunalis gradus victori animā
elisit. Quid mater? nunquam lætior
vultu suum pignus aspexit, idemq; be-
neficium poposcit, ut quā citissimē
eum assequeretur. Impetravit: laniata
ungulis, perfusa pice cervicem securi
subdidit: sed quantumcunque prope-
raret, filius cælum subeunti jam coro-
natus occurrit. *Ex Surio.*

S. LVDGARDIS VIRG.

16. Iunii.

NVlla pulchrior virginitate est vir-
tus, quæ DEVM etiam hominis
facit rivalem. Ambierant LVDGAR-
DIS thalamum complures, nec ignobi-
les terræ filii, & ex his familiarius uni
fortè loquebatur, cum ei sanctior spon-
sus CHRISTVS pectus suum, & in pe-
ctore cor saucium ostendit, & extra
hoc nihil deinceps iussit quærere. Inde
videlicet humana omnia usque adeo
illi jam vilescere, ut præter crucifixi
nullos amores sciret, præsertim ubi ab
eiusdē vulneris nectare ebria, tota jam
ibi habitabat, ubi sanctior amor degit.
Deposuerat DEI MATER apud LVD-
GARDEM querelas suas, quibus filiū
ab Albigenfibus hæreticis iterum in

CIV-